



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eisdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

diaconum, virum approbati testimonij, & apud Deum & homines vita, moribus, & scientia gratiosum, sub attestatione divini iudicij sibi facta, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta præferunt Remensi Ecclesie in pastorem, & fecerunt eidem, convocatis suffraganeis, munus consecrationis impendi. quorum assertioni Remense Capitulum & suffraganei qui consecrationi ejus interfuerant concordabant, sicut eorum ad nos directæ litteræ protestantur. Quia verò prænominati Archidiaconus & Canonicus apud nos per iteratas litteras institerunt ut super hoc veritatem faceremus inquiri, quantumcunque nobis molestum existat sæpeditam Ecclesiam molestari, nolentes tamen tantum sacramenti defectum clausis oculis pertransire, cum impedimentum hujusmodi tolerabile non existat, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus inquisita & cognita veritate, si præfatum Petrum inveneritis à tali exceptione probanda præscripto modo fuisse repulsum, eo quòd inordinatè actum est non obstante, denuntietis eidem & Archidiacono memorato ut, si voluerint & valuerint, ambo vel alter regulariter probent sub examine vestro irregularitatem objectam, & si eam infra duos menses probare noluerint aut nequiverint, sive quòd in canonica probatione deficient, sive quòd à probatione canonicè repellantur, vos dilecto filio R. Subdiacono & familiari nostro, per quem Palleum de corpore beati Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officij, destinamus, protinus injungatis ut illud memorato Remensis Ecclesie Præsuli secundum formam sibi datam assignet: qui quamvis non sit nobis incredibilis aut suspectus, si tamen ad declarandam penitus famam suam se purgare voluerit antè quam Palleum suscipiat, approbamus. Si verò, quod absit, sufficienter probaverit irregularitatem objectam, vos illum à regimine Remensis Ecclesie penitus amoventes, super ordinatione ipsius, Ecclesie procedatis secundum formam præfixam sæpèfatis Episcopis & Abbati. Et cum per sollicitudinem vestram in ea idoneus Pontifex fuerit ordinatus, faciatis ei præscriptum Palleum assignari, ne propter hoc cogatur ulterius laborare. Quòd si, receptis probationibus, aliquid dubium vel difficile apparuerit, quod per vos nequeat expediri, totum ad nos fideliter referatis, significantes

nobis plenariè veritatem; ut per vestram relationem instructi, tam circa istum quam circa illos auctore Domino procedamus sicut de jure fuerit procedendum. Si verò non omnes iis exequendis &c. duo vestrum &c. sublato cujlibet contradictionis, & appellationis & recusationis obstaculo &c. Datum Viterbij Kal. Octobris, anno decimo.

E I S D E M.

CVm sine Palleo Metropolitanus non possit plenitudinem pontificalis officij exercere, gravis quidem, non solum Ecclesie, verum etiam toti Remensi provincie immineret jaçtura, si circa ejus antistitem donatio Pallei nimirum differretur. Ne igitur Theobaldus de Pertico Archidiaconus & Petrus de Stampis Canonicus Ecclesie memoratae per excogitatum malitiam procurent diffugium vel latibulum ut infra tempus in aliis litteris designatum negotium vobis commissum sortiri non possit effectum, nos malignis adinventioibus obviare volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus si prædicti Archidiaconus & Canonicus sollicitè perquisiti non poterunt inveniri, vos elapso tempore præfinito faciatis præfatum Præsuli Palleum assignari. Salva tamen ad abundantiorè cautelam omni canonica ratione, si qua illis competere poterit contra ipsum, cum talis exceptio sit objecta quæ non solum impedit promovendum, sed deicit jam promotum. quamvis super hoc ipse non sit aliquatenus infamatus, nec incredibilis, nec suspectus, ut pote vir multimoda laude præclarus. Datum ut in alia.

EPISCOPO FERNENSI.

EX parte tua fuit propositum coram nobis quòd cum à tua Ecclesia relegatus Clericus tuæ diocesis sub poena excommunicationis duxeris inbibendum ne ad sacros ordines absque certis titulis se facerent promoveri, ipsi, tua prohibitione contempta, catervatim ad alias provincias convolantes, à diversis Episcopis indifferenter se faciunt ordinari. Propter quod humiliter postulasti ut quid de talibus sit agendum, nostris te litteris instruerem dignaremur. Nos igitur fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd ordinati & ordinatores eorum, nisi per probabilem ignorantiam excusentur, sunt ab officio suspendendi. Datum Viterbij IV. Nonas Octobris, anno decimo.

Epist. 114.
Vt Palleum ei-
dem Alberico
tradatur.

Epist. 115.
De Clerico or-
dinatis ab Episc-
co, vix non licet.